

schemate prostant, auctoritate Sua sancivit, servandaque mandavit, simulque Indulgentias omnes in indice huic Decreto inserto contentas in perpetuum benigne concessit, defunctis quoque applicabiles.

Leges servandæ in erigendis sodalitatibus viæ Crucis Viventis

I. Exercitium viæ Crucis Viventis instituitur, ad instar Rosarii Viventis.

II. Via Crucis vivens nihil aliud est, quam invitamentum atque tyrocinium ad completam Viam Crucis, juxta formam in Ecclesia Catholica adhiberi solitam, uberiori ædificationis fructu, atque indulgentiarum ac privilegiorum a SS. Pontificibus concessorum thesauro multo locupletiore ditatum.

III. Quælibet Sodalitas ex quatuordecim sociis constat, et nonnisi in Ecclesiis, vel Oratoriis publicis sive semipublicis, vel etiam in Communitatibus, ubi Stationes Viæ Crucis rite erectæ existunt, Constitui debet.

IV. Jus constituendi Sodalitates in toto Ordine, seu ubique locorum, residet in Ministro Generali Ordinis Minorum S. Francisci ; inter limites propriæ Provinciæ in Provincialibus ; in respectivo districtu in Guardianis eorumque vices gerentibus, sive per se sive per suos subditos ad id deputatos.

V. Spectat Jure primario ad Ministrum Generalem ubique locorum deputare Directorem Sodalitatum